Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

domino Jhesu Christo in manifestam gloriam et honorē
hunc hominem affligere uobis concessit et permisit: Sed
quia dixit amplius in ueritatem suorum uerborum
per os prophetæ psalmistæ: Visitabo in uirga iniquita-
tes eorum. etc. quam uirgam nunc in ipsum hominem
sæuiendo infestationibus uestris exercuistis, Sed quoniam
quidem in ipsa ueritate amplius dixit per os prophetæ:
misericordiam autem meam non dispergam ab ea:
Ergo per ipsam misericordiam, quæ maior est omnibus
peccatis mundi, præcipio uobis, ut exeatis ab hoc homine
per omnipotentiam patris, et filij, et Spiritus sancti,
qui uos æterno supplicio deputauit, neq; amplius ali-
quam potestatem maliciæ uestræ in ipsum hominem ex-
erceatis, nec aliqua infestetis membra ipsius, neq; par-
tem aliquam totius corporis, sed subito transeatis, ipsū
hominem christianum illæsum permittendo: per eum
qui ueniturus est. etc.

Oratio.

Domine Jhesu Christe, qui es uerus deus et homo, prop-
ter ueritatem uerborum tuorum, qui per os prophetæ
dixisti, misericordiam autem meam non dispergam
ab ea, non respicias peccata nostra, neq; hominis huius